

Ioannis

FERRARI
MONTANI, IV.

RISCONSULTI CLARISSIMI

Tractatus

DE

IVDICIORVM PRÆEXERCITA-
MENTIS, ET IIS, QVAE AD IVS DICEN-

tis officium atque etiam causas disceptantium
modestius studium per-
tinent:

VTILIBVS MVLTARVM RERVM LOCIS

*illustratus, adiecto Indice satis co-
pioso.*



FRANCOFVRTI

Ex officina Typographica Sigismundi Latomi.

M. DC.

Coll. Soc. Iesv Salm. ex dono Regum



AD CLARISSIMUM MVL-
TISQUE MODIS AMPLISSIMUM

virum, D. Chunradum Nombrechtum, Iurisconsultum,
Patritium, eundemque Consulem Francofurten-
sem, Ioannis Ferrarij, in Tractatum de Iu-
diciorum præexercitamentis,
Præfatio.



VI primi virtute & consilio præstanti extiterunt,
(ut Cicero inquit) ij dissipatos homines unum in lo-
cum congregarunt, eosque ex feritate illa ad justi-
tiam atque mansuetudinem transtulerunt: tum res
communem utilitatem continentes, quas publicas
appellamus: tum conventicula hominum, quæ postea civitates no-
minaverunt: tum domicilia coniuncta quas urbes dicimus, in-
uento & diuino & humano iure, manibus sepservunt. Atque in-
ter hanc vitam perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil
tam interest, quam *Vis & Ius*. Horum utro uti volumus, altero
est carendum. *Vim* volumus, extinguere ius necesse est, id est, iudicia,
quibus omne ius continetur. Iudicia displicent, aut nulla sunt: *Vis*
dominetur necesse est. Ex quibus nemo non intelligit, verus iudi-
ciorum usus quam sit in Republica necessarius, ut sine quibus con-
stare non possit, quæ eiusmodi esse debet, atque erit, iudicijs in veri-
tate custoditis, ut inimicus neq, deesse nocenti possit, neq, obesse in-
nocenti. Sapienter itaq, Solon ille Cræso percunctanti, Quod maxi-
mum esset imperium, respondit: Πομὶλὰ ἐὺλα. Leges innuens, quæ
in ligneis tabulis etiam Atheniensibus descriptæ erant, quos ἀγο-
ρας appellabant, quasi humile & momentaneum omne sit imperi-
um, quod legibus non fundatur.

Neque alia ratio inveniri poterat, quæ rerum tam publicam
quam priuatam utilitatem continentium, vel æquabilitas esset,

IOAN. FERRARII
MONTANI DE IUDICIO
RVM PRÆEXERCITAMEN-
tis, Liber primus,

CAPVT I.

Iuris cognitionem sine eius usu, nec plene contingere, nec admodum prodesse.



VRBE Romana, legibus per decem viros compositis, iam fundata, interpretatio (vt Pomponius scribit) statim desiderari cepit, forique disputatio est oborta: Nam vt quisq; suam causam stabilire, ita scripto iure niti operæ pretium esse duxit. Et factum, vt vna Lex non semel ad idem negotium tam conservandum, quam deest uendum disparili intellectu induceretur: Ita enim ingenia a mulatio alere solet, difficiliusque in perfectio etiam, mora est, inquit Velleius Paterculus, in priori ad M. Vinicium Coss. lib. Sed præterito eo, in quo eminerè non possumus, aliquid, in quo nitamur quodammodo, conquirimus: sequiturque, vt frequens & mobilis transitus, maximū quandoque perfecti operis impedimentum sit: Sic hominis ingenium morosum est, ac proprijs rebus minime contentum, maxime si vel existimationi, vel lucro quid accedere senserit. Cuius intuitu, ne ortæ iam legi fraus aliqua fieret, interpretatio eius non cuius per-

Ingenia a-
mulatio
alit.